

divinae carni assumptae verè ac realiter tribuuntur, non tantùm in concreto & ratione totius personae; sed & in abstracto ratione ipsius naturae, v. g. Caro Christi est vivifica *Job. 6. v. 55.* Sanguis Filii Dei emundat nos ab omni peccato *1. Job. 1, 17.* In miraculis patrandis vis prodit è carne Christi *Luc. 16. v. 19. c. 8, v. 46.* Ex me, inquit Filius hominis, h. e. *ex carne meâ vis prodiit*, ut rectè interpretatur Cyrillus. Idem judica de operationibus divinis juxta regulam Concilii Chalcedonensis: *Utraq; natura in Christo agit cum communicatione alterius naturae.* Athanas. Orat. 4. contra Arian. Nisi opera Deitatis verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deificatus fuisset.

THESIS XV.

7. *Ex perpetuâ Ecclesiae catholicae confessione.* Dionysius Areopagita Apostoli Pauli discipulus, ut *Damasc. l. 3 de Orth. fid. c. 6.* citat, notanter ait: Divinitas plenè in unâ suarum personarum nobis sese communicavit. Eusebius Caesariensis lib. 4. Demonstrationis Evangelicae c. 14. Homo à verbo assumptus est *εις κοινωνίαν θεότης* in communionem Deitatis & beatitatis. Item c. 13. ibid. verbum ex se ipso sua communicabat carni. Athanas. Orat. 4. contra Arianos: Humana natura Deificata facta est organon Deitatis, ut illo per eam suam *ἐνέργειαν* exerceret. Basiliius M. de Incarnat. verbi: Humana Domini caro ipsa particeps facta est Deitatis: *ἢ ἀνθρώπινη τῆ κυρίας σάρξ μετέχευε τῆς θεότητος* sicut ignis communicat seu impertit ferro ignito propriam suam facultatem. Gregorius Nyssenus in concion. de Beatitud. Rex Regum venit *εις κοινωνίαν* in communionem nostrae naturae. Johannes Cassiannus: Assumptus ille homo quomodo accipere potuit totum *λόγον* sine communicatione. Damasc. in Orat. de Imagin. disertè ait: Incarnati Filii animam participem factam esse naturae divinae, ut supra notavimus. Idem passim inculcat lib. 3. de Orthod. fide cap. 12. 15. & 17. per totum.

THESIS XVI.

8. *Ex publicâ ἀντιθέσει condemnatione.* Nam ut supra ab initio statim hujus Dissertationis edocuimus, secus qui sentiunt haereseos convicti fuerunt, & Samosatenus quidem ex eo cum primis capite ab orthodoxâ Ecclesiâ condemnatus est, quod statueret

duas